

dumeta et loca horrida ac sulphurea usque ad diem iudicii, et post illum a gehenna deglutendum, quod bestialiter vixisset, ut alibi recensui. Querit deinde Damianus cur miser ille ad asini et ursi formam damnatus sit, ac respondet: « Quia miserabilis ille, ab ipso pontificatus primordio usque ad finem vitæ, in luxuriæ cæno conversatus est; non incongrue visus est, et ab auribus incipere et in cauda asini desinere. Asinus quippe luxuriosus est animal, sicut propheta ait: *Et carnes asini carnes eorum* (Ezech. XXIII.) Quod autem per cætera membra ursi tenebat speciem, vitam in omnibus docetur duxisse carnalem. Ursa enim cum parit, non catulum, sed frustum carnis effundit, quod lingendo et lambendo componit; et quia uti mel ursi insano prosequuntur amore, sic voluptatem libidinosi. Eant igitur nunc impudici, et inspiciant se ipsos in imagine illa, quæ olim tanta in dignitate sedens, ab hominibus adorata fuit, post in tam tetram bestiam commutata est. Nimirum fornicatio talem metamorphosin peperit, et a summo honoris culmine ad infimum turpitudinis locum hominem detraxit. Fugite ergo, fugite, auditores, horrendum istud monstrum: *Fugite fornicationem, et omnis immunditia nec nominetur in vobis.*

CONCIO IV.

CUR SE MAGDALENA A SOLO CHRISTO ABSCONDERIT.

I. Quia eum solum agnovit suum Dominum.— II. Quia eum solum agnovit summum benefactorem suum.— III. Quia vidit ipsum solum peccatorum suorum conscium.— IV. Quia expendit ingens discrimen inter se et Christum.— V. Quia eum solum agnovit suum iudicem.

THEMA.

Stans retro secus pedes ejus. Luc. VII.

Miram questionem proposuit Salomon, Prov. XXXI. quando dixit: *Mulierem fortem quis inveniet?* Et quasi talis reperiri non posset, addit: *Procul et de ultimis finibus pretium ejus.* Magis mira evadit quæstio juxta translationem Septuaginta interpretum, qui legunt: *Mulierem virilem quis inveniet?* Ubi talis mulier? Si enim virilis, quomodo mulier? Si mulier, quomodo virilis? Quidquid tamen sit, reperta est talis mulier, Maria Magdalena. De hac enim legit illud dictum Salomonis Ecclesia in hodierno officio, quasi Magdalena talis inventa sit, qualem Salomon desideravit. Mulieres sunt timidæ, viri non item: mulieres sunt verecundæ, viri non tantopere. Magdalena utrumque

habet: timet et non timet, erubescit et non erubescit; mulier ergo et vir est, seu mulier virilis. Quomodo vero? Ecce hæc peccatrix intrat in publicum, et interim se abscondit, retro Christum se abscondit, in aliorum oculos prodit: fugit oculos Christi, non curat oculos et aspectum reliquorum convivarum: unicum Christum timet, cæteros omnes pro nihilo habet. O virum et mulierem! O mulierem virilem! At quis jam nobis dicet, cur solius Christi, alioquin tam amabilis, fugiat aspectum? Dic nobis Magdalena cur abscondis te propter Christum solum? Audiamus respondentem.

I. Quia solum ipsum absolutum meum Dominum, a quo omnis mea salus dependeret, esse cognovi. Ejus ergo respectu omnes alias injurias in homines admissas, v. g. in parentes, fratrem et sororem, aliosque, nullas esse reputavit: ipso vero offenso, totum mundum me habere offensum. Vidit hoc etiam desperabundus ille Cain, qui ejectus a Dei facie, totum mundum se habere sibi contrarium putabat; unde ubique profusus fuit: *Ecce ejicis me hodie a facie terræ, et a facie terræ, et a facie tua abscondar; omnis igitur, qui viderit me, occidet me*, inquit, Gen. IV. Si enim Deum offensum habeamus, nihil nos defendet, licet totus mundus stet pro nobis. Et contra si Deus stet pro nobis, nihil nos evertet, licet totus mundus nobis adversetur. Non ante multos annos, cum magnæ auctoritatis vir in aula Cæsaris juberetur esse captivus domus Austriacæ, interrogavit: *Eliamne Cæsaris?* quasi diceret: Si etiam iste me captivum esse jubet, actum est de me. Ita Aman, quando a regina coram rege se accusari audiit, quod nimirum etiam regis hostis esset, utpote cuius crudelitas in extinguendis tot militibus et subditis Hebræis redundaret in regem: *Obstupuit, vultum regis ac reginæ ferre non sustinens*, Esth. VII. Itaque in faciem regis tam graviter a se offensi aspiciere non potuit. Et quid mirum? Si enim Esther ipsamet aliquando regem non vocata adiens, ejus aspectu ita consternata fuit, ut in terram corruere inciperet, faciem regis iratam non ferens Esther XV. quanto minus eam sustineret reus, et hostis regis? Et si angeli coram Deo tremunt et tegunt facies suas, quomodo apparebit impius?

II. Quia cognovi ipsum esse summum benefactorem meum, cui animam et omnia mea deberem, a me tamen ingrata tam graviter offensum. Agnovi enim esse Dei Filium, qui me et creasset, et pro mea salute de cælo descendisset: scivi me per ipsum paulo ante a dæmonibus liberatam, Lucæ VIII. Agnovi igitur ipsum esse patrem meum amantissimum, me vero filiam ejus igratissimam: unde cum prodigo filio in lacero centone, dissipata

omni substantia a parente accepta, coram patre apparere timens, dicere voluit: *Pater, peccavi in cælum et coram te; jam non sum digna vocari filia tua.* Quomodo in cælum? Quia est thronus Dei, a quo nobis omnia bona proveniunt: « Peccant homines sub cælo (ait S. Augustinus, in id Psal. CII. *Secundum altitudinem cæli a terra*), faciunt omnia mala sub cælo, cælo tamen proteguntur: inde lux ad oculos, inde aer, inde spiritus, inde pluvia ad terram propter fructus, inde omnis misericordia a cælo. » Mirum ergo quomodo peccatores, aspiciere in cælum audeant, a quo omnia bona acquirunt, interim sub ipso tanta mala faciunt. Hinc Publicanus in templo orans a longe stabat, et: *Notebat nec oculos in cælum levare*, Lucæ XVII. Et hæc causa esse videtur ob quam Deus præcepit Moysi, ut Hebræos, qui cum Madianitis puellis in castris suis fornicati erant, suspenderet contra solem, Num. XXV. ut qui in conspectu solis, a quo tanta nobis bona, peccare non erubuissent; penas etiam darent in conspectu solis. Habet hoc ingratitude, ut vultum benefactoris sui, cui malum pro bono reddidit, fugiat; quasi se ipsum damnans tam apertæ iniquitatis, adeo ut etiam bestie videantur hoc apprehendere. Aspis in Ægypto mensa hospitis sui nutrita, cum enixa esset catulos, eorumque unus filium hospitis necasset, et catulum occidit, et domum hospitis fugit, quasi ipsa ingrata coram nutritore suo apparere amplius non auderet, apud Plinium, libro, X. capite LXXIV. Quid mirum igitur si et Magdalena Christi faciem verita est, et quodammodo fugit, cui se tam ingratham agnovit?

III. Quia cognovi ipsum solum omnium meorum peccatorum, et quidem fœdissimorum, esse conscium. Tametsi enim jam infamia peccatricis apud Phariseum et alios laborabam, illos tamen parum curavi; quia ipsi peccata mea perpetrari non viderant, nec quot et quanta essent, novebant: at Christum ea et vidisse et novisse omnia distinctissime intellexi; hinc ipsius unius vultum erubui. Nullum scelus adeo lucem fugit ac luxuria; et licet meretrices tandem impudentes fiant, publice tamen scortari non audent, sed latibula quærent. At quæ hæc injuria Deo, timuisse hominum oculos, et non timuisse oculum Dei? Unde Sanctus Chrysostomus, in I. Corinth. IV. ait: « In sceleribus, Deo contempto, homines formidamus, et homine præsentem nemo scortaretur, sed licet majorem in modum libidine flagraret, affectus tamen violenta pudore hominum vinceretur. Cum autem Deus videat, non modo adulterantur, non modo scortantur, verum et alia longe graviora et ausi sunt et audent. Nonne hoc vel solum satis esset, quo cœlitus in-

numeris peteremur fulminibus? » Quantus enim est hic contemptus Dei, homines vereri, et Deum non vereri? Erubescit ergo Magdalena vel nullo sero ante vultum Dei omnia videntis, quæ prius non erubuit, quia præsentem non advertit: et erubescit vel hoc ipso, quod in hominum, non in Dei oculis erubuerit. Sane Samaritana illa, quando audit Christum sibi dicentem: *Bene dixisti, quia non habeo virum; quinque enim viros habuisti, et hic, quem habes, non est tuus vir*, Joann. IV. mox ut vultum præ rubore a Christo averteret, ad montem Garizim oculos et sermonem divertit, ne Christum aspiceret, et plura sua peccata ab eo audiret: atque ubi intellexit ipsum esse Messiam, rejecta hydria, præ pudore et timore se proripuit, forsitan ne plura sua peccata audire cogereetur. Sic et accusatores adulteræ, ubi legerunt peccata sua in terram a Christo scripta, ut vult Sanctus Hieronymus, lib. II. contra Pelag. omnes profugerunt, qui prius valide instabant, ut eam condemnaret. Atque ut sine rubore fugere possent, iterum inclinavit se ad terram Christus.

IV. Quia vidi et expendi ingentem difformitatem inter Christi puritatem et meam impuritatem; unde in conspectu ejus, me, ut potui, abscondi. Si enim stellæ alioquin lucidissimæ in conspectu et adventu solis se occultant, quid mirum si in conspectu Sancti sanctorum impuritas se celet? Hispala scortum Romanum, Bacchi impurissimis sacris devotum, accersita a Sulpitia Romana matrona, omnium iudicio castissima et gravissima, adeo conspectum ejus timuit ac subterfugit, ut ejus præsentia pene examinata sit, Livio, I. XXXIX. teste. Vidit Magdalena suam fœditatem, eaque cum purissima Christi virginitate collata horruit seipsam, et aspiciere eam ausa non est, dicens quasi in corde suo: *Quæ societas luci ad tenebras? Quæ conventio Christi ad Belial?* II. Cor. VIII. Alios præsentem, quia ipsos peccatis aliquibus obnoxios esse cogitare poterat, non curavit: in Christo nullam maculam, sed merissimam lucem; in se vero verissimas tenebras vidit: Christum esse Filium Dei; se vero filiam Satanae et Belial intellexit. Eandem ob causam mulier illa, sanguinis fluxum patiens, ob morbi fœditatem clam retro accessit, et tetigit fimbriam vestis Christi; quod expendens sanctitatem Christi cum sua impuritate, non auderet apparere coram eo, nec vestem, imo et fimbriam vix tangere, Matth. IX. At vero et infirmitas, quia corporis erat, nullum Christo Domino horrorem afferebat: luxuria affert multo maximum, quia animam fœdat.

V. Quia solum ipsum agnovi iudicem meum,

summa potentia et majestate præditum, qui possit et animam et corpus mittere in gehennam. Hoc est, quod et Job timuit dicens: *Manum tuam longe fac a me (juxta Septuaginta: Tu solus manum tuam a me abstine), in cujus conspectu non potero me abscondere*, Job XIII. De S. Romualdo scribit B. Petrus Damiani, in ejus vita apud Sur. 19. jan. quod quicumque peccatores, præsertim potentes sæculi in ejus præsentiam devenissent, mox velut ante majestatem Dei tremefactis visceribus formidarent. Fassusque est Rainerius Tuscæ, in qua degebat Romualdus, marchio, qui consanguinei sui a se enecti uxorem habebat: *Quia non imperator, non aliquis mortalium tantum mihi metum valet incutere, quantum me Romualdi terret aspectus. Ante ejus quippe vultum neque quid dicam scio, neque quibus me defendere valeam, ulla excusationes invenio*. At hic tamen Romualdus non nisi homo erat. Quod si coram paupere eremita tremunt principes terræ; quid erit apparere coram Deo, judice universorum? Audite Isaiam, c. II. hæc de re loquentem: *Introibunt in speluncas petrarum et in voragines terræ a facie formidinis*

Domini, et a gloria majestatis, cum surrexerit percutere: et Apoc. VI. Tunc dicent montibus: Cadite super nos; et collibus: Aperite nos.

Non ergo metuamus hominum judicia, metuamus Christi judicium, a quo pendet salus nostra; dubia adhuc lance.

Hæc omnia, quæ diximus indicare voluit David, cum deplorans peccata sua, Ps. L. ait: *Tibi soli peccavi: tibi soli, quia tuam unius injuriam a me tibi factam plus doleo, quam si totum mundum offendissem: tibi soli, quia tu solus benefactor meus summus et unicus, a quo omnia mea habeo; cui ingrattissimus fui: tibi soli, quia tu solus ex omni parte sanctus, omnium peccatorum hostis capitalis: tibi soli, quia tu solus judex meus: alium neminem timeo, nemini alteri subjectus; idem et nos dicamus una cum Davide: Tibi soli peccavi, Domine, et cum Magdalena stemus retro Christum, et confundamus de peccatis nostris, ut in gratiam recepti, cum ipsa in lucem produci a Christo mereamur, et audire: Dimittuntur tibi peccata tua, vade in pace.*

IN FESTO SANCTI JACOBI.

EVANGELIUM. MATTH. XX.

Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Quid dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam et sinistram, non est meum dare vobis sed quibus paratum est a Patre meo.

CONCIONES.

- I. Ambitionis detestatio et remedia.
- II. Incitamenta ad virtutem seculandam.
- III. Quid faciendum ei, qui vult ingredi regnum cælorum.
- IV. Mors alacri animo excipienda.
- V. Cur aliqui renuant libere calicem Domini seu tribulationis: refelluntur querelæ.
- VI. Documenta.
- VII. Mystera.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Varii supplantatores.
- II. Qui male petant cum filiis Zebedæi.
- III. Boanerges, seu filii tonitru, quiet quando esse debeant.
- IV. Qui male vel bene suos ad honores promoveant.
- V. Qua ratione ad mortem quisque paratus esse debeat.

CONCIO I.

AMBITIONIS DETESTATIO ET REMEDIA.

- I. Ambitio lapis. — II. Scorpio. — III. Serpens.

THEMA.

Nescitis quid petatis. Matth. XX.

Ne miremini, auditores, si duo illi apostoli alioqui Christo charissimi ejusque cognati, cum primos honores peterent, repulsam passi sunt, siquidem rem noxiam petierunt. Nemo tam crudelis pater est, ut alibi docuit Christus, qui filio porrigat lapidem, serpentem, scorpionem; et si quid tale filii peterent, utique mox audirent: *Nescitis quid petatis*. Atqui ambitio nihilo melior est lapide, serpente, scorpione; ut mox videbimus.

I. Lapidis instar onerosa est, quia curis, sollicitudinibus, et laboribus hominem obruit, ac pene opprimit. Sanct. Bernard. lib. III. de considerat. ait: *O ambitio ambitiosorum crux quomodo omnes torques? Nihil acrius, nihil molestius inquietat*. Lampridius Roman. historiarum scriptor eximius præclarum hujus rei exemplum adfert: « Ovinus Camillius, inquit, antiquæ familiæ senator homo delicatissimus, rebellionem moliebatur, tyrannidem

affectans. Id cum Alexandro renuntiatum esset, statimque probatum, ad palatium vocato gratias egit, quod reip. curam, quæ bonis viris recusantibus imponi solet, sponte reciperet. Mox ad senatum processit, ac tanti sceleris conscientia, trepidum consortem imperii appellavit; in palatium recepit, ornamentis imperialibus, et melioribus, quam utebatur ipse decoravit; perfectionis comitem adhibuit. Cumque imperator ipse pedibus iter faceret, invitavit et Ovinium deliciis assuetum ad laborem, quem post quinque millia passuum cunctantem equo sedere jussit. Quumque post duas mansiones equo etiam fatigatus esset, carpente lædio laborum recusantem, denique et mori paratum dimisit, ac militibus, a quibus Cæsar præcipue diligebatur, commendatum, ad villas suas tuto abire jussit. Sic ille commonstravit quid esset gerere imperium. »

Bene ergo cura et onus regendi populum pondus vocatur Num. IX. a Moyse, qui cum a rebellante populo premeretur, dixit ad Deum: *Cur imposuisti pondus universi populi hujus super me?* Intellexit hoc Carolus V. imper. qui Bruxellis principatum Belgii in filium Philippum II. deponens, cum lacrymis dicebat: *O fili magnum tibi onus*